



**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.
Iesv, Cvrsvs Theologicvs**

in decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Secvndam Secvndæ, & Tertiam Partem D. Thomæ

Esparza Arteida, Martin de
Lugduni, 1666

VIII. Vtrum materia & forma, & alia constitutiua sacramenti importentur in
recto per sacramentum?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94839](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94839)

& in eo constituitur ab eisdem essentia sacramenti. Verum hoc processit ex equiuocatione fundata in nostro modo cognoscendi, quia apprehendimus, res accipere aliquid passiuè in se ipsis, per hoc, quod circa eas aliqua forma, aut actio extrinsecè versetur. Ex his patet ad duo argumenta in contrarium obiecta. Vtrumque enim pro nobis facit, vt ex dictis est manifestum. Indidem apparet, quare Vasquez supponat, tanquam indubitatum, sacramentum constitui per ens rationis; & quare alij, præsertim moderni supponant non constitui. Quia nimirum Vasquez accipit ens rationis, in secundo sensu, in quo verissimum est sacramentum constitui per ens rationis, vt ex dictis apparet. Ceteri accipiunt in tertio sensu, in quo manifestum est non constitui.

QVÆSTIO VIII.

Vtrum materia, & forma, & alia constitutiva sacramenti importentur in recto per sacramentum?

Videntur non importari. 1. Quia illud importatur in recto, quod per se stat, & concipitur ad modum per se stantis; illud in obliquo, quod alteri adiacet, & concipitur ad modum alteri adiacentis. Sed institutio diuina concipitur per modum adiacentis rebus, quibus sacramentum constituitur. Item forma concipitur, sicut adiacens materiæ. Ergo neque institutio diuina, neque forma importatur in recto per sacramentum.

2. Illud dici potest esse rectum in vnoquoque concreto, quod est nobilius. Quia ex nobilitate rei consequitur, quod etiam in mente teneat nobiliorem locum, adeoque sit rectum. Res enim sunt in intellectu bene disposito, sicut in se ipsis sunt, vt Aristoteles dicit. Illud verò potest dici obliquum, quod est ignobilius in tali concreto, & quod consequenter ob conformitatem intellectus cum rebus, debet concipi, sicut habens in mente ignobiliorem locum, hoc est obliquum. Forma autem sacramenti est quid nobilius, materia quid ignobilius, vt ex supradictis patet. Ergo sola forma importatur in recto, materia verò in obliquo.

3. In sacramento baptismi aqua est nobilior verbis, quia est magis actiua, magis stabilis, magisque perfecta. Ergo aqua importatur in recto; verba in obliquo; sed verba sunt forma, aqua materia. Ergo materia importatur in recto, forma in obliquo.

Art. 1. Respondetur quod clarius, & magis expressè significatur per voces, illud per ipsas in recto importatur; quod autem minus clarè, & quasi insinuatiuè, per easdem voces importatur in obliquo. Idem proportionaliter accidit in conceptibus. Illud enim est rectum, quod tenet primum locum in cognitione quoad expressionem, estimationem, &c. illud verò obliquum, quod penes easdem secundum locum tenet: puta, quod cognoscitur tanquam aliquid alterius, & velut insinuatiuè tantum. Hinc sequitur per conceptus mentales non semper eandem partem cuiusque concreti importari determinatè in recto, aut in obliquo; sed modo vnam partem, modò aliam, modo vtramque; prout expressius, & clarius importatur modò hæc, modò illa.

Art. 2. Sciendum est pro maiori huius rei claritate, quod duplici modo potest aliquid obiectum concipi. Primò ita vt intellectus ex vi talis conceptionis immediatè determinetur ad aliquid affirmandum, vel negandum de termino concepto, aut ad ipsum de

R. P. Esparza Curs. Theol. Tom. II.

aliis affirmandum, vel negandum, & consequenter, vt proximè disponatur ad quærendum vltiorem notitiam de tali termino, inuestigando passionem, & proprietates ipsius; & tunc dicitur talem terminum principaliter concipere, & in recto. Secundò potest intellectus terminum concipere, ita vt ex vi talis modi concipiendi nihil immediatè possit de ipso prædicare, nec ipsum de aliis, nec determinetur proximè ad quærendam vltiorem notitiam. Et tunc terminus sic conceptus, concipi dicitur in obliquo.

Art. 3. Circa voces verò, quia non tot voces nobis suppetunt, quot sunt conceptus exprimendi, idè ex antecedentibus, & consequentibus colligendum est, quidnam in recto, aut in obliquo per tales voces importetur. Vniuersaliter nomina concretorum accidentalium solam formam in recto significant, subiectum in obliquo; si tamen talia nomina extra propositionem sumantur, vt acutè S. Thomas aduertit. Eadem verò nomina quatenus propositionibus subsunt, subiectum important in recto, formam in obliquo; Sic album secundum se significat albedinem in recto, subiectum in obliquo; at quatenus est pars propositionis, *Petrus est albus*, significat subiectum in recto, albedinem in obliquo, alioquin enim esset falsa; quia perinde esset, ac dicere, *Petrus est albedo*. Cuius ratio ex dictis est manifesta; quia prædicationes, quæ fiunt in propositionibus, institui solent ad cognoscendam substantiam, non verò accidentia. Ex quo fit, quod per ipsas expressius, & primario substantias apprehendamus, accidentia verò implicite, & secundariò. At verò nomina imponi magis solent ad significandam formam, à qua sensibiliter desumuntur. Vnde expressius significant, & in recto formam accidentalem.

Art. 4. His positis potest fieri triplex comparatio inter constitutiva sacramenti. Prima materiæ, & formæ ad inuicem. Secunda materiæ, & formæ cum supernaturali significatione vtrique conueniente. Tertia cum reliquis requisitis, intentione Ministri, actione, &c. Circa primam: In reliquis sacramentis præter Eucharistiam, vt plurimum, & per se, forma in recto importatur, materia in obliquo. Quia voces, quæ habent rationem formæ, principatum tenent in genere signi. Vnde altius se imprimunt animo, quam res, expressioremque, & clariorem sui notitiam ingerunt. Ac proinde voces magis expressè, & clarius; res verò quasi insinuatiuè tantum conceptu sacramenti percipiuntur. Ratio excipiendi sacramentum Eucharistiæ est, quia cum species sacramentales sint permanentes, ac sæpè visui obiciantur: è contra voces sint aliquid præteruolans & non nisi semel audiantur; consequens est, vt sit intensior, & magis expressa notitia talium specierum, quam vocum. Vnde plerumque verba per Eucharistiæ sacramentum insinuatiuè, & in obliquo apprehenduntur: at species sacramentales corpori Christi adiunctæ expressè, adeoque in recto concipiuntur.

Art. 5. Circa secundam comparisonem materiæ, & formæ ex vna parte; cum significatione supernaturali, quam habent, ex alia parte respectu talis significationis materia, & forma in obliquo significari solent sub hoc nomine sacramentum, quando ponitur extra propositionem: at verò quando ponitur in propositione, frequenter supponit in recto pro materia, & forma, aut pro vtraque. Probatur prima pars, quia significatio supernaturalis eodem modo comparatur ad materiam, & formam, quo formæ accidentales physice comparantur respectu suorum subiectorum. Ergo sicut extra propositionem formæ accidentales per se importantur in recto à concretis accidentalibus, sic significatio supernaturalis per se importatur in recto à sacramento, quia

Cc

quia magis clarè, & quasi primò impetu suggeritur, cetera verò minus principaliter, & minus expressè importantur. Patet secunda pars, quod scilicet per sacramentum dum in propositione ponitur forma, & materia per se in recto importantur; quia scilicet in horum notitiam plerumque incumbunt Theologi, dum de sacramentis agunt, & circa sacramenta propositiones formant. Circa tertiam comparationem: cetera constitutiva per se, & plerumque in obliquo importantur, præsertim in propositione quia minus expressè, & clarè importantur per sacramentum, nec in ipsorum notitiam, valde propendunt Theologi, & PP.

Ad 1. Non quod concipitur per se stans, sed quod clarius & expressius est rectum. Forma autem sic concipitur ab eo, qui format enunciationes circa sacramentum, idè magis in recto, quam materia importatur; licet utraque aequaliter rectum sit: sicut ex materia, & forma physica fit vnum compositum, quod est rectum totale cæterorum sibi adiacentium. De institutione diuina esto, quod per se in obliquo solum importetur, & per hæc patet etiam ad 2.

Ad 3. Pro constitutione recti non attenditur nobilitas rei secundum se consideratæ, sed secundum eam rationem, quæ ab vnoquoque concreto dicitur de formali. Vnde licet aqua præmineat verbis secundum entitatem; quia tamen verba præminent aquæ secundum significationem, quæ attenditur magis in sacramento, quam alia perfectiones, idè non solum aqua, sed etiam verba, cum quibus ipsa vnum substantiale moraliter constituit, importantur in recto; & magis verba, quam aqua.

Q V Æ S T I O IX.

Virum institutio sacramenti sit voluntas conferendi gratiam sensibiliter?

Videtur non esse. 1. Quia voluntas dandi gratiam sensibiliter existit in Deo ab æterno. Institutio autem sacramentorum facta est à Christo Domino in tempore. Ergo illa voluntas, & hæc institutio distinguuntur realiter.

2. Voluntas conferendi gratiam, & voluntas significandi collationem gratiæ sunt diuersæ voluntates. Institutio autem sacramenti fit per voluntatem significandi collationem gratiæ, siquidem sacramentum est signum collationis gratiæ, vt liquet ex eius definitione. Ergo non consistit in voluntate conferendi gratiam, saltem adæquatè.

3. Ex Scoto, Gabriele, & aliis; institutio sacramenti est impositio significationis gratiæ coniecta cum firma, ac rata constitutione efficacitatis adiungendæ eidem significationi. Hæc autem non includuntur in sola voluntate conferendi gratiam sensibiliter, siquidem gratia conferri sensibiliter potest nulla antecederet imposita significatione ipsius gratiæ; conferri certè potest non adiuncta constitutione efficacitatis conuenientis ipsi significationi.

4. Ex Durando, institutio sacramenti consistit in designatione rei, aut vocis, cui insit significatio gratiæ, & efficacitas significationis. Talis autem, seu rei, seu vocis, seu vtriusque designatio non fit per solam voluntatem conferendi gratiam sensibiliter. Quia Deus potest velle conferre sua virtute gratiam sensibiliter; simulque velle committere alteri designationem rei, & vocis, per quas illam conferat, reddatque sensibilem. Ergo institutio sacramenti est om-

nino distincta à voluntate conferendi gratiam sensibiliter.

5. Institutio naturalis vocum, aliorumque signorum fit per mutuam promissionem, & obligationem inuicem notificatam, non adhibendi tales voces, aut res, nisi cum aderunt tales conceptus, vel tales alie res. Ergo institutio supernaturalis sacramentorum facta similiter est per promissionem, & obligationem notificatam, & acceptatam non adhibendi tales res sensibiles, aut voces, quin eo ipso conferatur gratia. Patet autem nequaquam includi hæc omnia in simplici voluntate conferendi gratiam sensibiliter; ac proinde fieri non potuit institutio sacramentorum per eiusmodi voluntatem.

Art. 1. Respondetur. Institutio sacramenti proculdubio consistit in impositione significationis efficacis gratiæ adiuncta enti sensibili habenti analogiam, & symbolicam proportionem cum gratia. Cum enim sacramentum sit signum symbolicum effectuum gratiæ; per id vtiq; institutum illud erit, vi cuius imposita erit significatio effectiua gratiæ entitati sensibili habenti dictam analogiam.

Art. 2. Impositio porro eiusmodi significationis constat voluntate efficaci conferendi gratiam, sufficienti ex se ad illam conferendam, quoties exhibita fuerit talis determinata res sensibilis secundum tales determinatas circumstantias, & manifestatione eiusdem voluntatis facta iis, quibus, & à quibus exhibenda est res eadem sensibilis. Quia, posita tali voluntate, ipsiusque voluntatis reuelatione, fieri non potest, quin eo ipso exhibitio talis rei sensibilis inferat existentiam gratiæ, faciatque venire in cognitionem collationis, & existentiam eiusdem gratiæ omnes petentes exhibitionem eius rei sensibilis, & præuentas ea reuelatione. Eo namque ipso habebunt præmissas, ex quibus necessario inferatur illud consequens. Ergo eo ipso talis res erit signum effectuum gratiæ. Signum quidem quatenus facit venire in cognitionem gratiæ: effectuum verò, quatenus infert existentiam eiusdem. Ergo eo ipso imposita erit significatio intenta. Eadem verò imposita non erit, si deficiat aliquid eorum, quæ præmissa sunt, vt patet singula consideranti. Impositio igitur significationis sacramentalis, adæque institutio sacramenti ea omnia, & sola complectitur, quæ in dicta voluntate conferendi gratiam, eiusdemque voluntatis reuelatione obseruata sunt.

Art. 3. Eadem autem omnia, & sola continentur in voluntate conferendi gratiam sensibiliter. Imprimis enim voluntas aliquid faciendi, vel inefficax, vel aliunde insufficientis ad efficiendum non dicitur simpliciter, & absolute voluntas, sed secundum quid, & cum addito diminuenti; nempe velleitas, & voluntas affectiue tantum efficax. Ergo, dum dicitur absolute voluntas conferendi gratiam, re ipsa significatur voluntas efficax, & ex se sufficiens ad executionem. Dum autem additur sensibiliter, significatur re ipsa reuelatio eius voluntatis, etiam quatenus determinantis talem rem sensibilem, habentem vtiq; vt superius, dictum est, analogiam cum gratia. Quia nimirum hæc omnia requiruntur, & sufficiunt pro sensibilitate intenta collationis gratiæ, vt liquet ex dictis. Dicendum igitur est institutionem sacramenti esse voluntatem conferendi gratiam sensibiliter, accipiendo tamen sensibilitatem, iuxta superius discussa de ea, quæ est perfectissima, & inest symbolo gratiæ.

Ad 1. Dum voluntati conferendi gratiam, quæ fuit in Deo ab æterno, adiungitur particula sensibiliter, satis indicatur manifestatio, & reuelatio facta in tempore à Christo Domino, vt nuper expositum est. Et quia adiciens operi vltimum complementum, dicitur absolute, cum illud adicit, tale opus perficere; propterea absolute dicitur Christum Dominum